

sunt, non convertuntur: sed eorum individualia, in  
 quibus per ingenium naturæ colligata sunt sua simplicia e-  
 lementa mineralia, per quam colligantiam hæc species est  
 in actu optimè convertuntur. Et per hoc media principalia  
 locata sunt in nostro magisterio, quia possunt mutari, mun-  
 dari purificari sub conservatione suæ speciei, tali modo, quod  
 species prima, quæ erat in actu manifesto, est concreta, in es-  
 sentia concretorum, quæ sunt in entibus creatis, quæ non  
 convertuntur. Et cum ex illis constat species, quæ est in esse  
 veritatis, & bonitatis, & magnitudinibus, quæ sunt in enti-  
 bus creatis, non convertuntur, quoniam si converterentur,  
 entia realia essent confusa, & ars & scientia non possent vi-  
 dere, quam sciunt, insequi, nec natura posset aliquam rem  
 multiplicare ad similitudinem præcedentis generis. Et ideo  
 in potestate naturæ fuit per creatorem positum, quod indivi-  
 dualia tantummodo, in quibus sunt entia realia, tracta ex spe-  
 ciebus eorum sine corruptione vel separatione eorum in ge-  
 nere cujuslibet speciei sub earum conservatione transmutân-  
 tur ad multiplicationem faciendam. Et de ista noster ignis  
 creatus est, & saltat, & ab illo exit lumen, & claritas. Et lu-  
 men est calor noster, qui multiplicatur per ignem innatura-  
 rem & contra naturam. Et hoc in partibus individualibus  
 naturæ mineralis prout experientia erit tibi manifestata, si  
 per artem in hac practica possis esse imbutus. Quia calor fi-  
 gurativus nostri rubei lapidis, qui habet ignem simplicis i-  
 gnitionis, est pars ignis creati, & ab illo separatus, & cum  
 solo tingimus argentum vivum, quousq; fiat ignis majoris  
 compositionis. Et ideo ipsum vocamus ignem compositum,  
 quoniam isti subtiliter infixus est calor ignis simplicis, quæ  
 est ignificativa, ignificabilis, & ignificata. Et sic ignis in suis  
 individualibus passivus movet potentiam ad multiplican-  
 dum suum effectum, actionem, complementum & finem,  
 non tamen per potentiam, in quantum passiva est, moveat  
 potentiam activam, sed sunt cognitæ similitudines entibus  
 realibus ad finem, ut sint penetratæ, coctæ, & permutatæ in  
 meliorem naturam, hoc de natura aeris in naturam ignis: sic  
 movet potentiam, & sua objecta ad complendum & finien-  
 dum sicut ignis, qui movet oleum ad lumen dandum, & cla-  
 rificandum locum, in quo est. Tene tamen fili pro regula  
 generali naturæ, quod semper in omni tempore objectum,  
 in quantum est appetibile, movet potentiam ad attrahen-  
 dum ad se suum appetibile, sicut res, quæ perfici desiderat  
 de suo, & non alio, ut possit secundum suum complemen-